

Elegia funebris

IN OBITVM VIRI CLARIS-

SIMI ERVDITIONE, IVRISPRVDENTIA,
RERV MQVEVSU PRÆSTANTISSIMI DNI.

HENRICI SCHVMANNI I. V. DOCTORIS celeberrimi piè ac
placidè vitâ defuncti. Auno 1615. die 2. Aprilis Scripta

M. IOACHIMO KIPPIO

Vnde sed infausti capiam primordia planctus,
Anxius in voces ibit & unde dolor?
Egregius cadit (heu) iuris legumq; Patronus,
Aonij nec non laus honor atq; chori.
Et sine mente jacet, cui nuper dotibus aucta
Mens erat ingenij, pectoris aucta bonis.
Quid nunc! nonne bonum merito lugere deceret
Quemq; viri mortem tam pietate gravis?
Pluribus ex causis fas esset, sed modus adsit,
Nec tam lugere hunc quam celebrare decet.
RIGÆ prognatus postquã Schumannus in auras
Lumina conspexit, Phæbe corusce, tua:
Continuò dulces Musa risere loquentes:
Si vivet, nostri gloria montis erit.
A teneris igitur Musarum castra secutus,
Evolvit doctos nocte dieq; libros.
Literulas patriis studuit cognoscere in oris,
Lenis ubi placido murmure DVNA fluit.
Quæis simul adjunxit studium peramabile, doctus
Ut posset Latio reddere verba sono.
Nec minus audebat magnis certare Poetis,
Versus complures scribere ludus erat.
Mox patriam linquens claram pervenit ad urbem
Frankfurtinam, cuius nomen ad astra patet.
Hic tantum finem sudans properavit ad illum,
Ut posset doctis in vigilare libris.
Ut sibi magnificum nomen, famamq; pararet,
Ut doctos inter viveret ipse viros.
HEIDELBERGIAC A hunc Academia postea novit,
Quam celebrem passim fama probata facit.
Ingenio hic aliquot vivebat clarus in annos,
Hic studiis crevit gloria magna suis.

Est & honore novo decoratus ibi tituloq;
Illi hic Doctoris nomen habere datum.
Et merito: virtus etenim sua premia poscit
Præmia quæ nullâ sunt peritura die.
Hinc hunc digressum clarissima BELGIA novit,
Hic multi insignes hunc coluere viri.
ANGLIA nec reticenda mihi, hanc peragrare volebat,
Quosq; habet egregios in clyta terra viros.
Inde Polonorum lustra vit mania, fortis
Quæ Rex extraxit divite CRACO manu
Et quæ WARSOVIË tractata negotia, quando
Conventus procerum, conciliumq; fuit.
At nunc quid prodest leges didicisse sacratas,
Et juris studiis implicuisse manus?
Quid mores hominum, multas vidisse quid urbes,
Et maris & terra tot superasse vias?
Nil in vat innumeras leges didicisse sacratas,
Parca ubi nos miseros sub sua jura rapit.
Non sua defendunt operosum carmina vatem,
Rhetora non tutum lingua diserta facit.
Nil gravis ære manus, nil magna gloria stirpis,
Adversus Parca tela cruenta juvant.
Non titulos curat, non mundi sceptrâ veretur,
Non curat fletus, munera, vota, preces.
Ergo jaces Patriæ decus O præclare Schomanne.
Musarum ac fautor, gloria summa tuis.
Jam Patriam repetis tristi nos orbe relinquis,
Te tenet aula nitens, nos lacrimosa dies.
Ergo vale, gravibus mundi subducte periculis,
Lætus in atheræa vive valeq; domo.

RIGÆ Livonum Typis Nicolai Mollini.

Anno 1615.